

migrare unquam licet. Vitam enim et reliquas nostras facultates, ea tantum ratione custodire, et perficere obligamur, quatenus ad Dei perfectiones manifestandas sunt remedia. Nefas itaque foret horum remediorum causa sine omnium ultimo excidere. Quare id omnino tenendum est totius inhonestatis nullam esse capitaliorem, quam quae contrahitur contemptu summi Numinis, et diuinæ gloriae obscuracione.

CCCLIV. Contra si cum praeceptis erga Deum affirmatiuis incideret contentio, quoniam illis implendis sufficiente opus est occasione, in grani vitae, vel rerum discrimine actionem, quae ad gloriam Dei immeditate illustrandam conduceret, praetermittere non erit in vitio. Sane poterit quis alio loco, et tempore eodem officio fungi, nec qui se ipsum seruat absque impietate, recedere intelligitur a diuino cultu, quippe ad quem omnes et singulae actiones nostrae semper referendae sunt.

CAPVT X.

De naturali aequitate seu officii imperfectis.

CCCLV. Leges et obligationes erga alios siquidem ex merito fluunt et dignitate, *imperfectas*, si vero ex suo illorum consequuntur, *perfectas* nuncupari supra vidimus, et inde officiorum, quae aliis debentur, discrimen duximus, vt iam imperfectis siue aequitati, iam vero perfectis, siue iustitiae adscribantur. Superest modo, vt de vtroque officiorum genere singillatim disputemus; quae iterum, prout vel ex sola natura, vel simul ex accedente quodam facto pendent, in *absoluta* et vniuersalia, vel in *Hypothetica* et particularia dispefcuntur.

CCCLVI. Ea nimirum est naturalis hominum infirmitas atque imbecillitas, vt nemo semetipsum perficere solus possit, alii itaque aliorum indiget opera, atque

atque adeo singuli necesse habent vires suas, et facultates coniungere, ut ita propositum quisque finem consequatur; quod ipsum cum ex congenito cuique communis appetitu, tum maxime ex fine naturae auctoris omnium perfectionem aeque intendentis intelligitur.

CCCLVII. Si efficimus, ut alter usu virium nostrarum propositum suum adsequi possit, eum dicimus *adiuvare*. Itaque id a natura cuique impositum est munus, ut aliorum perfectionibus tuendis, augendisque importet adiumenta; quae quidem varii sunt generis, prout nimirum diversas vel animi, vel corporis, vel status externi facultates cum aliis copulamus. Ceterum quoniam unitas in variorum coniunctione continetur, per se patet, cur ii, quorum vires ita inter se coelegantur, pro *uno* recte habeantur.

CCCLVIII. Quandoquidem perfectio nostra non nisi virium et facultatum copulatione potest obtineri. ideo obligatio erga se ipsum ab obligatione erga alios separari nequit. Quare etiam oportet, quemlibet hominem aliis hominibus in anima, corpore, et statu externo perficiendis dare operam, multoque magis ab inferenda quacunque imperfectione abstinere. Quae cum ita sint, utique officia quae quisque aliis debet, plane eadem sunt, ac illa, quae sibi ipsi sunt praestanda.

CCCLIX. In habitu voluntatis aliorum promovendi perfectiones, ac in propensione ad voluptatem inde capiendam eorum dilectio atque amor conspicitur. Quum igitur officia erga alios eadem sint, atque erga semetipsum, consequens est, ut quilibet alios homines sicut semetipsum amare et diligere teneatur. Sunt sane tam sui quam aliorum amor, atque dilectio, paria ad obtinendum finem ultimum remedia: nulla porro eatenus adparet ratio, ex qua haec officia possent inter se differre.

CCCLX. Virtus alios diligendi tanquam semetipsum

sum *Caritas* vocatur; igitur ad caritatem, seu Philantropiam vniuersalem obligamur, quam *Humanitas* seu habitus caritatem per actiones externas significandi, dein *candor*, *comitas*, *biuitas*, *feliuitas*, atque *miseri-cordia* comitantur. Inde vero patescit aliorum *odium*, *inhumanitatem*, *inuidiam* seu *taedium* ex aliorum bonis ortum, *sinistra iudicia*, solipsismum denique, seu *egoismum moralem*, qui in excessu amoris erga se positus est legi naturali repugnare.

CCCLXI. Equidem alios homines sicut nosmetip-sos, non autem magis diligere obstricti sumus; inde-vero consequitur, vt si caritatis exercitatio cum amore pugnet sui ipsius, nemo alterum, si modo reliqua omnia sint paria, sibi ipsi praeferre teneatur. Atque hoc sensu verissimum est vulgatum illud: *caritatem a semet-ipso inchoare*. Quomodo enim aliis quisquam prodesse possit, si officia sibi ipsi debita negligeret.

CCCLXII. Ast falleret haec ipsa regula, si quis in eum statum demittatur, in quo neplectus officiorum erga se ipsum propter pugnam cum officiis erga alios ad maiores efficiendas perfectiones pertineret. Tunc enim bonum totius bono partis anteponere, et ad maximam, quam possumus humani generis felicitatem contendere oportebit. Ad id enim nos sapientissimi naturae auctoris voluntas solo rationis lumini conspicua fortissimis omnium vinculis obstringit.

CCCLXIII. Qui nos amat, *amicus*, qui autem nos odit, *inimicus*, generali significatione nuncupatur. Quoniam omnes amare obligamur, et neminem odisse, danda est opera, vt omnibus simus amici, tam *inter-ni*, quam etiam, si vires suppetant, *externi*, nemini vero inimici; et quia si quis legem naturalem violat, propterea ius nobis non tribuit eandem legem migrandi, etiam inimicos diligere tenemur, eos nobis *recon-ciliari*, aut saltem, vt minus noceant, *emollire*.

CCCLXIV. Animi ad alios perficiendos procliuitas *beneuolentia*, seu *benignitas* dicitur, ipsi autem actus
benig-

benignitatis, siquidem sine spe retributionis fiant. *beneficentiam*, secus *officiositatem* constituunt. Quoniam omnium amicitiam servare, et contra inimicitiam fugere obligamur, consequens est, ut benevolentiam colere, et quantum in nostra potestate positum est, etiam beneficentiam exercere, et vicissim promereri teneamur. Bona vero necessitatibus nostris haud attemperata, vel quae non ex amore, sed vel ex ignorantia, vel ex propriae tantum utilitatis studio, vel plane ex animo nocendi sunt profecta, perperam beneficiis quisquam adscriberet.

CCCLXV. Ac benevolentia quidem quoniam a constanti et perpetua voluntate pendet, nunquam per se exauriri, aut cum aliis pugnare officiis potest. Aliud vero obtinet in beneficentia; neque enim inexhaustae sunt vires nostrae, et maior semper est numerus eorum, qui auxilio indigent, quam ut omnibus istis adiuuandis sufficere valeant. Itaque existente pugna officiorum exceptionem aliquam facere erit necesse.

CCCLXVI. Prout autem officia erga alios vel omnibus generatim, vel certis tantum personis habita occasione praestantur, ita iam *indefinitis*, iamque *definitis* accenseri consueverunt. Servant igitur prioris generis officia, qui idoneum eligunt vitae genus, ut aliis iuuandis sint aptiores, qui utilia persequuntur inuenta, qui denique virtutes intellectuales, morales proprio exemplo commendant. Ast eadem haec officia praetermittunt violantque ignaviae sectatores, qui nulli se addicunt vitae generi, sed vitam silentio transeunt veluti pecora, quique vel falsas, et perniciosas doctrinas promouent, vel utiles et proficuas aut occultant aut plane criminantur.

CCCLXVII. Posterioris generis officia, siue *definita*, in duplicem iterum abeunt formam, prout nimirum sine minimo virium nostrarum detrimento, vel vero nonnisi cum aliqua eius, quod nostrum est, de-
cessio-

cessione praestantur; illa dicuntur *innoxiae utilitatis*, haec igitur *utilitatis non innoxiae* licebit adpellare. In ambobus autem ratio habenda erit occasionis, et ut orto conflictu iis, quae a fortiore obligatione ducuntur, satisfiat.

CCCLXVIII. Scilicet aliorum dilectio amoris erga se ipsum non potest repugnare; dein saepe adsunt personae, quibus non tantum communi illo naturae, sed alio adhuc superaddito vinculo, obstricti sumus. Ex quo consequitur, ut tunc demum seruetur benignitatis modus, si beneficium dans, se ipsum haud negligat, sique, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum etiam non petentem beneficentiae plurimum conferatur, siquidem obligationem simplicem obligatione composita esse debiliorem, alibi ostentum est. Eos autem iuvare haud erit opus, qui cum idoneis viribus sint instructi, ipsi convenientibus perfectionibus obtinendis iam sunt pares.

CCCLXIX. Actus benevolentiae nemini esse obtrudendos, siue *inuito non dari beneficium*, vetus quidem est adagium. Bona enim, aiunt, quae alter repudiat, sibi mala esse opinatur; qui igitur eadem admittere alterum cogit, ipsi non amoris, sed odii praebet occasionem. Enim vero quoniam alterum gravi periculo eripere, eique iam collum in laqueum inferenti subuenire utique oportet, non est dubium, quin etiam inuitis beneficia conferenda sint, dummodo vires nostrae, vires contrarias sine alterutrius pernicie possit superare. Absurdum foret, eum vi opprimere, quem te iactas esse servaturum.

CCCLXX. In dilectione eius, qui nobis benefecit, inest *gratus animus*, vulgo gratitudo. Quum plures et maiores causas ponderis plus habere oporteat, in eo autem, qui nos beneficiis ornat, praeter communem humanitatis nexum, singularis adhuc felicitatis nostrae promouendae ratio inueniatur. consequens est, ut cuiuslibet sit officium, erga homines beneficos se gratum praes-

F

pras-

praebere, atque hosce animi sensus vel re, vel opera, vel verbis, quoad eius fieri poterit, declarare. Quamquam enim quisque meritam debitamque gratiam referre non potest, habere certe potest.

CCCLXXI. Itaque faedior est animi ingrati, quam inhumani turpitude, belluaque deterior is esse iudicatur, qui nec collatis in se beneficiis potuit commoueri; sed et eo maior erit huius vitii prauitas, quo praestantiora sunt bona, quae alii in nobis collocarunt. Quae tamen bona a quopiam sine beneficentiae studio, aut praeter dantis intentionem in nos profecta sunt: quia in numerum beneficiorum referri nequeant, gratum animum non postulant.

CCCLXXII. Quandoquidem officia, quae in augendis aliorum perfectionibus, versantur, *imperfecta* esse supra vidimus: facile patet ea, quae de amore, caritate, misericordia, amicitia, benevolentia, beneficentia, officiositate, et grato animo haecenus tradita sunt, lege quidem naturali decerni, aliquem tamen, ut hisce legibus se attemperet, cogere vi extrina, naturaliter non licere. Sane cessaret tunc beneficentiae notio, dein saepe ad id cogi quis posset, ad quod non habet vires, et ipsa tandem naturalis libertas plane corrueret.

CCCLXXIII. Nec inanis propterea erit haec obligatio; qui enim aequitatis denegat officia, se odio aliorum exponit, bonam perdit estimationem, atque hoc modo necessaria se perficiendi remedia admittit; in perpetuo denique viuit periculo, ne ius iniquum alij in ipsum retorqueant. Illud vero maximi est ponderis, diuinae voluntatis transgressori praeter naturales illas huius vitae poenas etiam poenas vitae futurae ab infinita Iustitia imminere. Ceterum fieri etiam potest, ut officia imperfecta, quatenus in actibus externis posita sunt, vel superioris *imperio*, vel maiore urgente *necessitate*, vel nouo quodam *facto*, in officia perfecta commutentur.

CA-